CODEX

CIVILIS UNIVERSALIS

PRO

OMNIBUS TERRIS HEREDITARIIS
GERMANICIS

IMPERII AUSTRIACI.

PARS III.

VIENNAE.

TYPIS CAES. REG. AULAE ET STATUS TYPOGRAPHIAE.

1817.

PARS TERTIA

C O D I C I S C I V I L I S.

DE COMMUNIBUS, JURIS PERSONARUM ET RERUM DETERMINATIONIBUS.

CAPUT I.

De confirmatione jurium et obligationum.

§. 1342.

Communes jurium determinationes.

Tam jura personarum, quam jura rerum, et obligationes inde orientes aequali ratione firmari, mutari et tolli possunt.

§. 1343.

Species confirmationis jurium.

Species juridicae cautionis obligationum et confirmationis jurium, quibus juri, alicui jam competenti, novum jus accedit, sunt: intercessio tertii pro debitore, et pignus.

§. 1344.

Intercessione tertii.

Triplici modo tertius creditori pro debitore obligari potest: primo, si consentiente creditore debitum integrum in se suscipit; deinde, si obligationi tamquam debitor conjunctus accedit; demum, si ad satisfaciendum creditori pro eo casu se obligat, quo debitor principalis obligationem non adimpleverit.

§. 1345.

Susceptio debiti alterius integri cum consensu creditoris non est debiti confirmatio, sed mutatio obligationis, de qua agitur in capite sequenti.

§. 1346.

a) Ut fidejussoris:

Qui se ad satisfaciendum creditori in eum casum obligat, quo debitor obligationem suam non adimpleverit, fidejussor, et conventio inter ipsum et creditorem facta contractus fidejussionis nominatur. Prior debitor semper adhuc debitor principalis manet, et fidejussor tantum tamquam debitor accessorius additur.

§. 1347.

b) Ut debitoris conjuncti;

Si quis absque conditione in fidejussione contenta obligationi alterius tamquam debitor

conjunctus accedit, communio plurium debitorum oritur, cujus effectus juridici secundum praescripta in capite de pactis in genere sunt judicandi. (§. 888—896.)

§. 1348.

Qui fidejussori pro eo casu, quo fidejussione sua damnum pateretur, indemnitatem promittit, fidejussor indemnitatis vocatur. Fidejussor indemnitatis.

§. 1349.

Alienas obligationes sine discrimine sexus quilibet suscipere potest, cui libera administratio patrimonii sui competit. Quis fidejubere possit.

§. 1350.

Fidejussio non solum respectu pecuniarum et rerum, sed etiam respectu actuum et intermissionum licitarum, quoad commodum vel incommodum illi, cui fidejubetur, inde oriundum, locum habet. Pro quibus obligationibus.

§. 1351.

Obligationes, quae nunquam juridice validae fuere, aut jam sublatae sunt, nec expromitti nec firmari possunt.

§. 1352.

Fidejubens pro aliqua persona, quae propter qualitatem suam personalem se obligare nequit, tenetur tamquam correus de-

bendi in solidum, etiamsi ei qualitas ista fuerit ignota. (§. 896.)

§. 1353.

Ambitus fidejussionis.

Fidejussio nequit ulterius extendi, quam fidejussor expresse declaraverit. Qui pro sorte in foenus locata fidejubet, pro illis tantum usuris restantibus tenetur, quas creditor exigere nondum potuit.

§. 1354.

Fidejussor uti nequit exceptione, vi cujus debitor secundum praescripta legum postulandi jure gaudet, ut ipsi pars patrimonii ad sustentationem relinquatur.

§. 1355.

Effectus.

Fidejussor de regula tantum tunc conveniri potest, quando debitor principalis ad creditoris judicialem vel extrajudicialem interpellationem obligationem suam non adimplevit.

§. 1356.

Primo loco vero fidejussor conveniri potest, licet expresse se tantum pro eo casu obligasset, ubi debitor solvendo impar sit; si de patrimonio debitoris principalis concursus creditorum publicatus fuerit, aut si eo tempore, quo solutio praestanda esset, domicilium

debitoris ignoretur, et creditor negligentiae incusari nequeat.

§. 1357.

Qui se fidejussorem et solutorem nuncupavit, tamquam correus debendi in solidum pro integro debito tenetur, atque ab arbitrio creditoris dependet, an velit debitorem principalem, vel fidejussorem primo loco, vel utrumque simul convenire, (§. 891.)

§. 1358.

Qui debitum alterius solvit, succedit in jura creditoris, et fas ipsi est, a debitore refusionem debiti soluti exigere. Quod ut possit, creditor, cui satisfactum est, obligatur, solventi omnia, quae habet, argumenta juris et securitatis remedia tradere.

§. 1359.

Si pro eadem summa integra plures fidejusserunt, quilibet de tota tenetur. Si vero quis eorum totum debitum solvit, ei quemadmodum correo debendi (§. 896.) jus refusionem postulandi contra reliquos competit.

§. 1360.

Si creditori ante fidejussionem, vel in ejus praestatione praeterea adhuc a debitore principali vel a tertio pignus datur, ipsi qui-

dem semper adhuc liberum est, fidejussorem secundum ordinem (§. 1355.) convenire; sed destituitur facultate in detrimentum fidejussoris pignus remittendi.

§. 1361.

Si fidejussor vel solutor creditori absque consensu debitoris principalis satisfecit, hic omnibus exceptionibus contra illos uti potest, quas creditori opponere potuisset.

§. 1362.

Fidejussor a fidejussore indemnitatis tunc tantum potest indemnitatem postulare, si damnum propria sua culpa sibi non conscivit.

§. 1363.

Modi, quibus fidejussio exspirat.

Obligatio fidejussoris aequali ratione cum obligatione debitoris cessat. Si fidejussor se tantum in certum tempus obligavit, in hoc tempus tantum tenetur. Dimissio unius confidejussorum huic quidem contra creditorem, ast non etiam contra reliquos confidejussores prodest. (§. 896.)

§. 1364.

Lapsu temporis, intra quod debitor solvere debuisset, fidejussor, etsi creditor satisfactionem suam non adurserit, fidejussione sua nondum liberatur, verum jure gaudet a

debitore, si cum ejus consensu fidejussit, postulandi, ut ipsi cautionem praestet. Creditor quoque fidejussori in tantum tenetur, in quantum ejus juri refusionem exigendi ob negligentiam creditoris in repetendo credito nocitum est.

§. 1365.

Si contra debitorem fundata suspicio obtinet, quod solvendo impar futurus, aut ex terris hereditariis, pro quibus iste codex praescriptus est, discessurus sit; fidejussori jus competit ab illo cautionem debiti fidejussione firmati postulandi.

§. 1366.

Negotio, ob quod fidejussum fuit, finito, exigi potest, ut rationes mutuae componantur, et fidejussio tollatur.

§. 1367.

Fidejussio nec hypotheca, nec pignore firmata intra tres annos post mortem fidejussoris exspirat, si creditor tempore intermedio ab herede creditum, cujus dies solutionis jam venit, judicialiter vel extrajudicialiter repetere neglexit.

§. 1368.

Contractus pignoris ille vocatur, quo de- II. Contractu pignoris.

bitor aut alius illius nomine creditori jus pignoris in rem quamdam reapse tribuit, atque ita rem mobilem oppignorandam ipsi tradit, aut immobilem inscriptione in libros publicos obligat. Pactum de pignore dando contractus pignoris nondum est.

§. 1369.

Effectus contractus pignoris.

Quod de pactis in genere, de contractu pignoris quoque valet. Contractus pignoris est contractus bilateralis. Creditor tenetur pignus custodire et oppignoranti, postquam satisfactionem praestitit, reddere. Quod hypothecam attinet, creditor debito soluto ei, qui pignus dedit, possibile reddere obligatur, deletionem obligationis ex libris hypothecariis impetrare. Jura et obligationes pignus constituentis et accipientis, cum possessione ejus conjuncta, in capite sexto partis secundae determinata fuerunt.

§. 1370.

Qui pignus in sensu stricto accepit, obligatur illud constituenti apocham de pignore accepto, descriptis ejus notis characteristicis, exarare. Nec minus conditiones essentiales contractus pignoris in hac apocha describi possunt.

§. 1371.

Omnes conditiones et pacta adjectitia, naturae contractus pignoris et mutui contraria, sunt invalida. Eo pertinent conventiones: ut die statuto debito non soluto res oppignorata creditori cedat; ut eam pro arbitrio, aut pretio antea iam determinato alienare, aut sibi servare; ut debitor pignus nunquam luere, aut rem immobilem nemini alii obligare, neve creditor, postquam dies solutionis venerit, alienationem pignoris postulare possit

Conditiones illicitae.

§. 1372.

Contractus accessorius, ut creditor usumfructum rei oppignoratae habeat, in jure nullius est effectus. Merus rei mobilis oppignoratae usus creditori tributus (§. 459.) modo debitori innoxio est exercendus.

§. 1373.

Qui obligatur cautionem praestare, huic obligationi per pignus in sensu stricto, aut hypothecam satisfacere tenetur. In eo tantum casu, quo pignori constituendo impar est, admittuntur fidejussores idonei.

Quomodo cautio in regula praestanda sit.

§. 1374.

Cautionis nomine nemo domum pretio majori dimidio, fundum vero et bona mobi-

lia majori duabus tertiis partibus pretii aestimationis in pignus accipere obligatur. Fidejussor idoneus est, qui patrimonium conveniens possidet, et in eadem provincia conveniri potest.

Caput II.

De mutatione jurium et obligationum.

§. 1375.

Creditor et debitor mutua sua libera jura et obligationes pro arbitrio mutare possunt. Mutatio haec fit vel nulla tertia persona interveniente, vel interveniente novo creditore aut debitore. Mutatio jurium et obligationum.

§. 1376.

Mutatio sine interventione tertiae personae locum habet, si fundamentum juris, vel objectum principale crediti mutatur, consequenter nova obligatio in locum prioris venit. 1) Novatione;

§. 1377.

Talis mutatio novatio dicitur. Vi hujus contractus prior obligatio principalis tollitur et nova statim incipit.

§. 1378.

Jura fidejussionis, pignoris et alia priori obligationi principali conjuncta per novatio-

nem exspirant, nisi a paciscentibus speciali conventione aliud statutum sit.

§. 1379.

Determinationes exactiores, ubi, quando et quomodo obligatio jam existens adimplenda sit, et aliae determinationes accessoriae, quibus ratione objecti principalis vel fundamenti juris nulla fit mutatio, pro novatione non sunt habendae, non secus ac novi solummodo chirographi, vel alius instrumenti illuc se referentis exaratio. Nec mutatione tali in determinationibus accessoriis tertio, qui ejus partem habuit nullam, novum onus imponi potest. In dubio prior obligatio non existimatur sublata, in quantum cum nova potest coëxistere.

§. 1380.

2) Transactione.

Contractus novationis, quo jura litigiosa vel dubia ita dirimuntur, ut pars quaevis alteri aliquid dare, facere, aut intermittere se obliget, transactio vocatur. Transactio pertinet ad contractus bilaterales, secundum quorum principia dijudicatur.

§. 1381.

Qui obligato cum ejus consensu jus non

controversum vel dubium gratis remittit, donat (§. 939).

§. 1382.

Quosdam casus dubios transactione componere non licet, quo pertinet controversia inter conjuges de validitate matrimonii eorum orta, quam tantum instantia legitima decidere potest.

Transactiones invalidae respectu objecti:

§. 1383.

De ultimae voluntatis dispositione ante illius publicationem transactio iniri nequit. Sponsio de ea facta secundum principia contractuum de re incerta judicatur.

§. 1384.

Transactiones de transgressionibus legum tantum quoad satisfactionem privatam valent; legitima inquisitio et poena eis tunc tantum averti potest, si transgressiones ejus sunt naturae, ut judicium duntaxat ad petitionem laesi officio suo fungi jubeatur.

§. 1385.

Error transactionem eatenus tantum invalidam reddere potest, quatenus essentiam personae, vel objecti concernit.

aliorumve defectuum.

§. 1386.

Ob laesionem ultra dimidium transactio bona fide inita impugnari nequit.

§. 1387.

Nec documenta neoreperta, etsi alteri paciscentium nullum plane jus competiisse probarent, transactionem bona fide initam enervare possunt.

§. 1388.

Error evidens calculi, vel mendum, additione aut subtractione in transactione ineunda commissum, neutri paciscentium obest.

§. 1389.

Ambitus transactionis. Transactio de speciali controversia inita ad alios casus non extenditur. Etiam transactiones generales, ad omnes controversias in genere directae, ea jura non spectant, quae studio occultata sunt, vel de quibus partes transigentes cogitare non potuerunt.

§. 1390.

Effectus respectu obligationum accessoriarum. Fidejussiones et pignora, ad securitatem totius controversi juris constituta, pro parte quoque per transactionem definita obligata manent. Attamen fidejussori et tertio pignus constituenti, qui transactioni non accesserunt, omnes exceptiones erga creditorem compe-

tunt, quae transactione non inita petitioni illius opponi potuissent.

§. 1391.

Pactum, quo a partibus ad dirimenda jura litigiosa arbiter constituitur, determinatur in codice judiciario.

§. 1392.

Si creditum ab una persona in aliam 3) Cessione.
transfertur, et ab ea acceptatur, mutatio juris existit interveniente novo creditore. Tale negotium cessio vocatur, et potest fieri titulo lucrativo aut oneroso.

§. 1393.

Omnia jura, quae alienari possunt, pos- Objecta cessionis.
sunt etiam cedi. Jura, quae personae inhaerent et propterea cum ea exspirant, cedi nequeunt. Chirographa, in quemlibet exhibentem scripta, sola traditione jam ceduntur, nec praeter possessionem alia probatione cessionis opus habent.

§. 1394.

Acceptanti eadem jura sunt respectu cre- Effectus.
diti cessi, quae cedenti fuerunt.

§. 1395.

Cessione inter eum solummodo, qui creditum transfert (cedentem), et eum, in quem

transfertur (cessionarium), non autem inter posteriorem et debitorem susceptum (cessum) nova obligatio oritur. Hinc debitor, quamdiu ipsi cessionarius ignotus est, jure gaudet, antiquo creditori solutionem praestandi aut alio modo cum ipso componendi.

§. 1396.

Hoc debitori non licet amplius, quamprimum ipsi cessionarius innotuit; manet tamen ei jus exceptiones suas illius petitioni opponendi. Cessus creditum cessionario bonae fidei verum esse fassus, obligatur ei, tamquam creditori suo satisfacere.

§. 1397.

In quantum cedens teneatur.

Qui creditum gratis cedit, ac proinde donat, nihil praestat amplius. Cessione vero onerose facta, cedens cessionario tam de veritate, quam de bonitate crediti ad evictionis praestationem tenetur, non tamen in plus, quam a cessionario accepit.

§. 1398.

Quoties cessionarius de bonitate crediti ex libris publicis hypothecariis se informare potuit, indemnitas ipsi nulla debetur, si solutio praestari nequeat. Sed etiam si creditum tempore cessionis bonum fuerat, et casu for-

tuito vel culpa cessionarii solutio obtineri nequit, cedens damnum non praestat.

§. 1399.

Talem culpam cessionarius committit, si creditum eo tempore, ubi renunciari potest, non renunciat; aut, posteaquam dies solutionis venit, non exigit; si debitori connivet; si securitatem, quae obtineri adhuc potuit, justo tempore sibi procurare negligit, aut executionem judicialem non adurget.

§. 1400.

Interventione novi debitoris mutatio obligationis fieri potest, si debitor in sui locum tertium soluturum substituit, et creditori eum assignat. 4) Assignatione.

§. 1401.

Si creditor, cui assignatur (assignatarius), tertium ad solutionem substitutum (assignatum) loco debitoris substituentis (assignantis) acceptat, et assignatus consentit, assignatio plena est, et assignatarius de regula (§. 1406 et 1407.) amplius actionem contra assignantem instituere nequit. Assignatio plena.

§. 1402.

Quousque triplex iste consensus non exi- Minus plena.

stit, assignatio minus plena et pro illis tantum efficax est, qui pacti sunt.

§. 1403.

Si assignans tertio, ei nihil debenti, solutionem mandavit, huic liberum est assignationem acceptare vel non. Si eam non acceptat, nova obligatio oritur nulla, si vero eam acceptat, contractus mandati inter eum et assignantem oritur, sed nullus adhuc cum assignatario.

§. 1404.

Assignans assignationem ab assignatario nondum acceptatam revocare potest; in quali casu assignatus ex mandato jure amplius non gaudet, assignatario solutionem praestandi.

§. 1405.

Si assignatarius factam sibi assignationem acceptare nolit, aut si assignatio ab assignato non acceptetur, aut si huic ob ejus absentiam exhiberi nequeat; assignatarius assignantem sine mora de eo certiorem reddere obligatur, secus assignanti de consectariis nocivis obnoxius est.

§. 1406.

Si, assignatione ab assignatario et assignato acceptata, posterior solutionem justo tem-

pore non praestat, assignans assignatario sub iisdem limitationibus tenetur, sub quibus cedens cessionario de veritate et bonitate crediti obligatur. (§. 1397 et 1399).

§. 1407.

Verumtamen si åssignatarius assignatum tamquam unicum debitorem a se suscipi expresse vel tacite per hoc declaravit, quod debitori suo primo apocham dederit, vel chirographum restituerit, assignans ab omni obligatione erga eum liberatur.

§. 1408.

Si assignans debitori suo tamquam assignato solutionem tantum in eadem ratione, qua ipsi praestanda fuisset, mandat, assignatario facultate ad debitum ab eo recipiendum data, assignatario assignatio loco cessionis servit, et inter eum et assignatum eadem jura obtinent, quae inter cessionarium et debitorem cessum, de cessione certiorem redditum, locum habent.

§. 1409.

Si assignatus post talem assignationem, cessionem simul in se continentem, solutionem sine causa renuit, aut si assignatus in genere, posteaquam assignatario solutionem promisit,

in mora est, de consectariis tenetur. Si vero solutionem susceptam rite, et quidem majoris summae, quam assignanti debebat, praestitit, ab hoc ei refusio debetur (§. 1014).

§. 1410.

Mercatores respectu assignationum reguntur specialibus pro ipsis latis praescriptis.

Caput III.

De modis, quibus jura et obligationes tolluntur.

§. 1411.

Jura et obligationes ita inter se connexa sunt, ut cessante jure etiam obligatio, et cessante obligatione jus tollatur. Sublatio jurium et obligationum.

§. 1412.

Obligatio praecipue solutione, id est, praestatione ejus, quod aliquis debet, tollitur (§. 469). 1) Solutione.

§. 1413.

Nec creditor cogi potest invitus ad aliquid aliud acceptandum, quam illi competit, nec debitor ad aliquid aliud praestandum, quam quod praestare obligatur. Idem etiam valet de tempore, loco et modo obligationem adimplendi. Quomodo solutio praestanda.

§. 1414.

Si aliquid aliud in solutum datur, quia creditor et debitor consentiunt, aut quia so-

lutio ipsa impossibilis est, actus hic tamquam negotium onerosum considerari debet.

§. 1415.

Creditor non obligatur solutionem debiti per partes acceptare. Si vero diversa debita solvenda sunt, illud pro sublato habetur, quod debitor consentiente creditore se soluturum expresse declaravit.

§. 1416.

Si voluntas debitoris in dubium vocetur, aut creditor contradicat, primo usurae, deinde sors capitalis, ex pluribus sortibus vero ea, quae jam repetita, aut saltem cujus dies solutionis venit, et demum illa, quae debitori maxime oneri est, pro sublatis habeantur.

§. 1417.

quando; Termino solutionis nullo determinato, obligatio solvendi venit die, quo creditor debitorem interpellavit. (§. 904).

§. 1418.

In certis casibus terminus solutionis determinatur rei natura. Alimenta ad minimum pro uno mense in antecessum praestantur. Si is, cui alimenta debentur, intra illud tempus moritur, ejus heredes non obligantur quidquam de in antecessum accepto restituere.

§. 1419.

Si creditor in mora fuerit solutionis acceptandae, adversa consectaria in eum redundant.

§. 1420.

Si locus et modus praestationis non sunt determinati, praescripta superius (§. 905.) statuta applicari debent. Solutiones extra contractum debitas debitor tantum in loco domicilii sui praestare obligatur.

§. 1421.

Etiam persona, ad patrimonium suum administrandum alias inhabilis, debitum verum et cujus dies venit, rite persolvere et ab obligatione sua se liberare potest. Quodsi debitum adhuc incertum vel ante diem solvit, ipsius tutori vel curatori jus est solutum repetendi.

§. 1422.

Si tertius debitoris loco cum ejus consensu pro ratione obligationis contractae solvere potest et vult, creditor solutionem acceptare et solventi jus suum cedere tenetur; attamen in hoc casu creditor, nisi intercedente dolo, nec de veritate, nec de bonitate crediti evictionem praestat.

§. 1423.

Sine consensu debitoris creditori de regula (§. 462) solutio a tertio obtrudi nequit. Si tamen eam acceptaverit, solvens jure gaudet, posterius etiam quam solutionem praestitit, cessionem juris creditori competentis postulandi.

§. 1424.

tui. Debitum creditori aut ejus mandatario, facultate illud recipiendi instructo, aut illi solvendum est, cui creditum a judicio in dominium adtributum fuit. Quod quis ad patrimonium suum administrandum inhabili solvit, denuo solvere tenetur, in quantum solutum non exstat, aut in rem recipientis non fuit versum.

§. 1425.

Judicialis depositio debiti.

Si debitum ea ex ratione, quia creditor ignotus, absens, aut eo, quod ipsi oblatum fuit, contentus non est, aut ex aliis magni momenti rationibus solvi nequit, debitori rem solvendam in judicio deponere fas est, aut, si propter qualitatem ejus hoc fieri nequeat, a judicio, ut custodiatur, petere. Quilibet horum actuum, si rite factus et creditori notificatus fuerit, debitorem ab obligatione liberat, et periculum rei praestitae in creditorem conjicit.

§. 1426.

Solvens semper facultate gaudet ab eo, cui satisfactum est, apocham, scriptum nimirum testimonium de adimpleta obligatione, postulandi. In ejusmodi apocha nomen debitoris et creditoris, nec non locus, tempus et objectum exstincti debiti exprimi, et a creditore vel ejus mandatario ei subscribi oportet. Apochae.

§. 1427.

Per apocham de soluta sorte capitali praesumtio fundatur, quod et ejus usurae solutae fuerint.

§. 1428.

Creditor obligatur, praeterea quod apocham exaret, debitori chirographum restituere, aut, si forte pars debiti tantum solvatur, in ipso chirographo hoc adnotari sinere. Chirographum restitutum sine apocha pro debitore praesumtionem juris fundat, solutionem praestitam fuisse, non tamen excludit probationem contrarii. Chirographo, quod restitui debet, amisso, solvens jure gaudet cautionem exigendi, aut debitum judicialiter deponendi, et postulandi, ut creditor amortisationem chirographi secundum praescripta codicis judiciarii efficiat.

§. 1429.

Apocha a creditore debitori pro soluto recentiori debito exarata non quidem probat, alia quoque antiquiora debita soluta fuisse: si vero agitur de certis proventibus, reditibus vel talibus solutionibus, quae, uti census, merces locationis fundorum vel domus, aut usurae, ex eodem titulo et statutis temporibus praestandae sunt; praesumitur, qui apocham soluti ultimi termini exhibet, anteriores quoque terminos solvisse.

§. 1430.

Eadem ratione de mercatoribus et opificibus, qui cum ementibus vel iis, qui opera eorum utuntur, certis temporibus de mutuis obligationibus rationes inire solent, praesumitur, ipsis, si de rationibus posterioris termini apocham dederunt, debita quoque ex prioribus rationibus soluta fuisse.

§. 1431.

Indebiti solutio.

Si cui errore, licet errore juris, res data vel factum praestitum fuerit, quae exigendi jus nullum habuit, de regula in priori casu res repeti, in posteriori vero merces utilitati comparatae proportionata postulari potest.

§. 1432.

Attamen solutum nomine debiti praescriptione exstincti, aut talis, quod tantum ob defectum solemnitatum invalidum est, et ad quod exigendum leges nonnisi jus actionem instituendi denegant, perinde repeti non potest, ac si quis solvat, quod scit se non debere.

§. 1433.

Hoc praescriptum (§. 1432.) vero applicari nequit ad eum casum, si solutio fiat a pupillo vel curando, vel alia persona, cui libera de dominio suo dispositio non est.

§. 1434.

Restitutio soluti etiam tunc postulari potest, quando debitum quocunque modo adhuc incertum est, aut ab adimpletione conditionis adjectae dependet. Solutio debiti liquidi vero et sine conditione contracti ideo repeti nequit, quod dies solutionis nondum venerit.

§. 1435.

Res quoque tamquam verum debitum solutae repeti possunt, si fundamentum juris eas habendi cessaverit.

§. 1436.

Si quis obligatus fuit e duabus rebus unam

tantum pro arbitrio suo dare, et si errore ambas dedit, quam vult, repetere potest.

§. 1437.

Qui solutionem debiti accipit, pro bonae vel malae fidei possessore habetur, prouti vel errorem dantis scivit, aut ex circumstantiis praesumere debuit, vel contra.

§. 1438.

2) Compensatione.

Si mutuae obligationes concurrunt, quae verae, ejusdem generis, et ita comparatae sunt, ut res, quae uni tamquam creditori competit, ab eodem tamquam debitore quoque praestari possit, eatenus, quatenus obligationes se invicem exaequant, mutua sublatio earum (compensatio) oritur, quae jam per se mutuam solutionem efficit.

§. 1439.

Obligatio liquida et illiquida, talis, cujus dies jam venit, et talis, cujus dies nondum adest, compensari inter se non possunt. In quantum in casu concursus contra massam obaerati compensatio locum habeat, determinat codex judiciarius.

§. 1440.

Ita etiam jura, quae res heterogeneas, aut omnimodo determinatas et non omnimo-

do determinatas pro objecto habent, inter se compensari nequeunt. Res propria auctoritate subtractae, commodatae aut depositae in genere objectum compensationis non sunt.

§. 1441.

Debitor creditori suo id imputare nequit, quod hic tertio et tertius debitori solvere obligatur. Immo neque id, quod alicui a certo aerario publico debetur, cum eo compensari potest, quod ipse alii aerario publico debet.

§. 1442.

Si creditum successive in plures transfertur, debitor quidem illud jure, quod tempore cessionis contra primum illius crediti possessorem habuit, quemadmodum et illo, quod ipsi contra postremum possessorem competit, compensare potest; non autem eo quoque, quod ipsi contra possessorem intermedium competebat.

§. 1443.

Respectu obligationis libris publicis intabulatae exceptio compensationis cessionario tunc tantum opponi potest, si obligatio partis adversae similiter, et quidem penes ipsam obligationem priorem inscripta, vel cessionario hanc suscipienti notificata fuit.

§. 1444.

3) Remissione.

In omni casu, in quo creditori fas est, jure suo se abdicare, potest quoque ei in favorem sui debitoris renunciare, et hoc modo obligationem debitoris tollere.

§. 1445.

4) Confusione.

Quoties jus cum obligatione quocunque modo in una persona concurrit, exspirant ambo, nisi creditori adhuc facultas sit, separationem jurium suorum petendi, (§. 802 et 812) aut nisi relationes diversi plane generis intercedant. Quapropter per successionem debitoris in hereditatem creditoris sui in juribus creditorum hereditatis, coheredum vel legatariorum et si debitor et fidejussor sibi succedunt, in juribus creditorum nihil mutatur.

§. 1446.

5) Rei interitu.

Jura et obligationes libris publicis inscripta conjunctione in eadem persona non tolluntur, donec extabulatio in libris publicis subsecuta sit. (§§. 469. et 526.)

§. 1447.

Interitus casualis rei specialis integrae omnem obligationem, nec ea valorem ejus refundendi excepta, tollit. Hoc principium

etiam pro illis casibus valet, in quibus adimpletio obligationis, vel solutio debiti alio casu fortuito impossibilis efficitur. Semper vero debitor tenetur id, quod adimplendae obligationis causa accepit, equidem tamquam bonae fidei possessor, ita tamen restituere aut refundere, ut ex damno alterius lucrum nullum capiat.

§. 1448.

Morte ea tantum jura et obligationes exspirant, quae ad personam restricta sunt, aut actus mere personales defuncti concernunt. 6) Morte.

§. 1449.

Jura et obligationes exspirant etiam lapsu temporis, ad quod ultima voluntate, pacto, sententia judicis, vel lege restricta sunt. Quomodo praescriptione legibus determinata tollantur, in capite sequenti statuitur. 7) Temporis lapsu.

§. 1450.

Leges civiles, vi quarum actus et negotia illegitima, si praescriptio non impediat, immediate impugnari possunt, restitutionem in integrum, non admittunt. Ad processum judicialem pertinentes casus restitutionis in integrum in codice judiciario determinantur. De restitutione in integrum.

Caput IV.

De praescriptione et usucapione.

§. 1451.

Praescriptio. Praescriptio est amissio juris intra certum a lege definitum tempus non exerciti.

§. 1452.

Usucapio. Si jus praescriptum vi possessionis legalis simul in alium transfertur, usucapi, et modus iste adquirendi usucapio dicitur.

§. 1453.

Quis praescribere et usucapere possit. Quilibet, qui alias ad adquirendum habilis est, usucapione quoque dominium vel alia jura adquirere potest.

§. 1454.

Contra quem; Praescriptio et usucapio contra omnes privatos, qui ad exercitium jurium suorum idonei sunt, locum habet. Contra pupillos et curandos, contra ecclesias, communitates et alias personas morales; contra administratores patrimonii publici et contra illos, qui abs-

que culpa sua absunt, tantummodo sub limitationibus inferius (§§. 1494., 1472. et 1475.) indicatis conceditur.

§. 1455.

Quidquid adquiri, usucapi quoque potest. Res vero, quae ob qualitatem suam essentialem, vel ex legum praescriptis possideri, porro res et jura, quae absolute alienari nequeunt, non sunt objectum usucapionis. Quae objecta.

§. 1456.

Ex hac ratione nec jura summo imperanti qua tali competentia, uti jus vectigalia exigendi, monetas cudendi, tributa imponendi, et alia jura majestatis (regalia) usucapione adquiri, nec obligationes his juribus correlatae praescribi possunt.

§. 1457.

Alia jura summo imperanti competentia, non tamen ei exclusive reservata, e. g. ad silvas, venationes, piscationes et similia, in genere quidem possunt ab aliis civibus usucapi, attamen solummodo intra tempus extraordinarium. (§. 1472.)

§. 1458.

Jura conjugis, patris, prolis, et alia jura personarum objectum usucapionis non sunt.

Illis tamen, qui jura hujusmodi bona fide exercent, ignorantia inculpabilis eatenus prodest, ut jura sua putativa interim tueri ac exercere possint.

§. 1459.

Jura alicujus in facta sua et res suas, e. g. mercem hic vel illic emendi, pratis vel aqua sua utendi, praescriptioni obnoxia non sunt, excepto casu, ubi lex cum intermissione usus per certum tempus continuata expresse ammissionem eorum conjugit. Si tamen quis alteri exercitium hujusmodi jurium interdicat, vel alterum in eo impediat, possessio juris prohibendi ex parte unius contra libertatem alterius ab eo momento incipit, quo alter interdicto, vel impedimento acquievit, et hoc modo, si omnia reliqua requisita concurrunt, praescriptio vel usucapio locum habet. (§. 313. et 351.)

§. 1460.

Requisita usucapionis: 1) possessio;

Ad usucapionem praeter habilitatem personae et objecti requiritur: ut quis in possessione rei vel juris, quae hoc modo adquiri debent, revera existat; ut possessio sit justa, bonae fidei, et non vitiosa, atque per totum

lege determinatum tempus continuetur. (§.309, 316. 326. et 345.)

§. 1461.

Omnis possessio ejusmodi titulo fundata, qui ad adquirendum dominium, si illud tradenti competiisset, sufficiens fuisset, justa est et ad usucapionem sufficit. Tales sunt e. g. legatum, donatio, mutuum, emtio venditio, permutatio, solutio, e. s. p.

et quidem a) justa;

§. 1462.

Res oppignoratae, commodatae, depositae, vel in usumfructum concessae a creditoribus, commodatariis et depositariis vel usufructuariis ob defectum tituli justi nunquam possunt usucapi. Etiam eorum heredes, illos repraesentantes, non gaudent titulo meliori. Tantum tertio justo possessori tempus usucapionis prodesse potest.

§. 1463.

Possessio debet esse bonae fidei. Mala fides vero antecessoris bonae fidei successori vel heredi non obstat, quo minus hi usucapionem a die possessionis suae incipiant. (§. 1493.)

b) bonae fidei,

§. 1464.

Possessio etiam non sit vitiosa. Si quis

c) non vitiosa.

rem vi vel dolo apprehendat, aut in possessionem clam irrepat, aut rem precario solummodo possideat, nec ipse nec ejus heredes eam usucapere possunt.

§. 1465.

2) Temporis lapsus.

Ad usucapionem et praescriptionem etiam lapsus temporis legibus praescriptus necessarius est. Praeter terminum per leges pro specialibus quibusdam casibus determinatum, modo pro omnibus reliquis casibus ad usucapionem vel praescriptionem requisitum tempus in genere definitur, respectu habito diversitatis tam jurium et rerum, quam personarum.

§. 1466.

Tempus usucapionis. Ordinarium;

Jus dominii, cujus objectum res mobilis est, possessione legitima trium annorum usucapitur.

§. 1467.

Similiter in res immobiles ille, in cujus nomen libris publicis inscriptae sunt, jus plenum contra omnem oppositionem lapsu trium annorum usucapit. Ambitus usucapionis ex ratione possessionis inscriptae definitur.

§. 1468.

Ubi libri publici nondum introducti sunt, et adquisitio rerum immobilium ex actis ju-

dicialibus et aliis instrumentis probari debet, aut si res in nomen illius, qui jura possesionis in eam exercet, inscripta non est, usucapio tantum post triginta annos finitur.

§. 1469.

Servitutes et alia jura specialia in fundo alieno exercita similiter atque jus dominii ab eo, in cujus nomen libris publicis inscripta sunt, intra tres annos usucapiuntur.

§. 1470.

Ubi libri publici rite instructi nondum existunt, aut tale jus ipsis inscriptum non est, bonae fidei possessor illud tantum per triginta annos usucapere potest.

§. 1471.

Ubi de juribus agitur, quae raro exerceri valent, veluti de jure collationis beneficii, aut ad contribuendos sumtus pro refectione pontis alicujus quempiam cogendi, ad usucapionem provocanti, praeter lapsum triginta annorum, simul probandum est, occasionem hoc jus exercendi intra hoc tempus ad minimum terna vice recurrisse, et illum perpetuo hoc jus exercuisse.

§. 1472.

Contra fiscum, h. e. contra administra- Extraordinarium.

tores bonorum publicorum et patrimonii civitatis, quatenus haec usucapioni obnoxia sunt (§§. 287., 289., 1456. et 1457.), porro contra administratores bonorum ecclesiarum, communitatum et aliarum societatum licitarum, commune ordinarium usucapionis tempus non sufficit. In tali casu possessio rerum mobilium, non minum, quam possessio rerum immobilium vel servitutum et aliorum jurium in eis exercitorum, in nomen possessoris libris publicis inscriptorum, per sex annos continuari debet. Jura ejusmodi, quae in nomen possessoris libris publicis inscripta non sunt, et omnia reliqua jura contra fiscum et personas hic enumeratas, speciali favore gaudentes, solummodo possessione quadraginta annorum adquiruntur.

§. 1473.

Qui cum persona, ratione praescriptionis temporis legis beneficio gaudente, in communione est, ejusdem beneficii fit particeps. Beneficium longioris temporis praescriptionis contra alias quoque personas, eodem beneficio instructas, effectum suum exerit.

§. 1474.

Qualitas fideicommissi familiae, rei he-

reditario locatae et emphyteuticae, tantum possessione quadraginta annorum, jure liberi dominii exercita, perimitur.

§. 1475.

Absentia domini ex provincia, in qua res existit, ordinariae usucapioni et praescriptioni eatenus obstat, quod tempus absentiae voluntariae et inculpabilis pro dimidia tantum parte, atque ita annus unus pro sex mensibus, computetur. Attamen breviorum temporum absentiae, quae per unum annum integrum continuum non duraverunt, ratio habenda non est, et in genere universum tempus, nunquam ultra triginta annos extendatur. Absentia culpabilis nulla exceptione ratione temporis praescriptionis ordinarii fruitur.

§. 1476.

Ille quoque, qui rem mobilem immediate a possessore vitioso, vel malae fidei acquisivit, vel auctorem suum indicare nequit, duplo temporis praescriptionis ordinarii opus habet.

§. 1477.

Qui usucapionem ex lapsu temporis triginta vel quadraginta annorum derivat, titulum justum edere non tenetur. Quodsi vero

mala fides illius possessionis probetur, usucapio etiam hoc longiori tempore non perficitur.

§. 1478.

Tempus praescriptionis. Ordinarium.

In quantum omnis usucapio praescriptionem in se continet, ambae requisitis praescriptis existentibus eodem tempore complentur. Ad praescriptionem vero proprie sic dictam sufficit, tantum ut jus, quod per se exerceri potuisset, per triginta annos non sit exercitum.

§. 1479.

Omnia jura contra tertium, sine discrimine, an libris publicis inscripta sint vel non, de regula usu per triginta annos non exercito, vel silentio hoc tempore servato exstinguuntur.

§. 1480.

Jura respectu tributorum annuorum, censuum et usurarum, redituum vel operarum, quae jam praestanda fuissent, lapsis tribus annis exspirant; jus ipsum hujusmodi praestationes annuas porro exigendi usu per triginta annos non exercito praescribitur.

§. 1481.

Exceptiones.

Obligationes juri familiae, vel generatim juri personarum innixae, e. g. liberis necessaria alimenta suppeditandi, quemadmodum et illae, quae juri, supra (§. 1459.) exposito de

dominio suo libere disponendi, respondent e. g. obligatio rei communis dividendae, vel finium regundorum, praescribi nequeunt.

§. 1482.

Simili modo jus, quod alicui in fundo alieno integro, vel diversis arbitrariis modis exercere licuit, propterea tantum, quod illud per tempus quamcunque longum, solum in parte fundi, vel certo tantum modo exercitum fuerit; non limitatur; sed limitatio talis adquisitione vel usucapione juris interdicendi vel impediendi efficienda est. (§. 351.) Idem quoque valet, si quis jus contra omnia membra communitatis sibi competens hucusque tantum contra aliqua membra ejus exercuerit.

§. 1483.

Quamdiu creditor pignus detinet, nec intermissio exercitii juris pignoris ei opponi, nec jus pignoris praescribi potest. Ita etiam jus debitoris pignus redimendi praescriptioni non est obnoxium. In quantum vero creditum valorem pignoris excedit, interea praescriptione exstingui potest.

§. 1484.

Ad praescriptionem ejusmodi jurium, quae raro tantum exerceri possunt, requiritur,

ut ille, cui jus competebat, intra tempus praescriptionis triginta annorum tribus occasionibus jus tale exercendi non sit usus. (§. 1471.)

§. 1485.

Ratione personarum speciali juris favore gaudentium (§. 1472.), quemadmodum ad usucapionem, ad praescriptionem quoque quadraginta anni requiruntur.

§. 1486.

Tempus praescriptionis extraordinarium brevius,

Regula generalis, jus ob usum intermissum solummodo lapsu triginta vel quadraginta annorum exstingui, ad illos tantum casus applicanda est, pro quibus lex alium terminum breviorem non statuit. (§. 1465.)

§. 1487.

Jus ultimae voluntatis declarationem evertendi; portionem legitimam vel ejus expletionem exigendi; donationem ob ingratitudinem donatarii revocandi, contractum onerosum ob laesionem ultra dimidium rescindendi, vel divisionem factam rei communis impugnandi; et actio ob metum vel errorem, subversantem in contractu, in quo alter paciscens doli se reum non reddidit, intra tres

annos exerceri debent. Lapso hoc tempore praescripta sunt.

§. 1488.

Jus servitutis intermissione usus praescribitur, si obligatus exercitio servitutis se opposuit, et ille, cui jus competebat, per tres annos continuos jus suum non exercuit.

§. 1489.

Quaelibet actio ad indemnitatem post tres annos ab eo tempore exspirat, ex quo damnum laeso innotuit. Si ipsi non innotuerit, aut si ex crimine ortum sit, jus agendi primo post triginta annos praescribitur.

§. 1490.

Actiones injuriarum, quae tantum in contumeliis, verbis, scriptis vel gestis illatis consistunt, post unum annum elapsum intendi amplius nequeunt. Si vero injuria factis illata fuerit, actio ad satisfactionem per tres annos durat.

§. 1491.

Aliqua jura legibus ad brevius adhuc tempus restringuntur; quemadmodum in eis locis, ubi de his juribus agitur, praeceptum est.

§. 1492.

Quamdiu jus cambii litteris cambialibus inhaereat, constitutione cambiali statuitur.

§. 1493.

Tempus praescriptionis antecessoris imputatur.

Ei, qui rem a justo et bonae fidei possessore bona fide accipit, tamquam successori fas est, tempus usucapionis antecessoris sui ad suam usucapionem computandi (§. 1463). Idem quoque valet de praescriptionis tempore. In usucapione triginta vel quadraginta annorum haec computatio etiam sine justo titulo, et in praescriptione proprie sic dicta etiam sine bona fide, vel inculpabili ignorantia, locum habet.

§. 1494.

Impedimenta praescriptionis.

Contra personas, quae ob defectus animi jura sua ipsae administrare nequeunt, uti sunt pupilli, dementes vel mente capti, tempus usucapionis vel praescriptionis, quamdiu ipsis legitimi defensores non sunt constituti, incipere nequit. Usucapio quidem vel praescriptio semel incepta currit, nunquam tamen prius quam duobus annis post impedimenta sublata terminari potest.

§. 1495.

Inter conjuges quoque, porro inter libe-

ros vel pupillos et parentes vel tutores eorum, quamdiu illorum vinculum matrimonii durat, hi sub parentum vet tutorum aut curatorum potestate sunt, usucapio vel praescriptio nec incipi, nec continuari potest.

§. 1496.

Absentia in servitiis civilibus vel militaribus, vel justitium totale, e. g. tempore pestis aut belli, impedimento est, non solum usucapioni vel pr aescriptioni incipiendis, sed etiam, quoad tale impedimentum durat, continuandis.

§. 1497.

Interrupti praescriptionis.

Tam usucapio quam praescriptio interrumpitur, si ad eam provocaturus ante lapsum temporis praescriptionis vel expresse vel tacite jus alterius agnovit, vel si ab eo, cui jus competit, convenitur et actio rite continuatur. Si vero actio re judicata pro invalida declaretur, praescriptio pro non interrupta habenda est.

§. 1498.

Usucapionis vel praescriptionis effectus.

Qui rem vel jus usucepit, contra eum, qui hucusque dominus erat, a judicio addictionem dominii petere, et jus addictum, si objectum librorum publicorum efficit, his inseri curare potest.

§. 1499.

Similiter obligatus post tempus praescriptionis extabulationem obligationis suae, libris publicis inscriptae, aut invaliditatis declarationem juris alteri hucusque competentis et instrumentorum desuper exaratorum obtinere valet.

§. 1500.

Jus vero usucapione vel praescriptione adquisitum ei, qui libris publicis confidendo adhuc ante ejus inscriptionem rem aliquam vel jus aliquod nactus est, praejudicio esse nequit.

§. 1501.

Praescriptionis, si partes ad eam non provocant, ex officio ratio habenda non est.

§. 1502.

Renunciatio et prolongatio praescriptionis.

Nec renunciare praescriptioni in antecessum, nec legibus definito longius praescriptionis tempus sibi stipulari licet.

INDEX.

Pag.

INTRODUCTIO.

De legibus civilibus generatim. §. 1—14.. 1

PARS PRIMA.

DE JURE PERSONARUM.

CAPUT I.

De juribus qualitates et relationes personales spectantibus. §. 15—43................. 5

CAPUT II.

De jure matrimonii. §. 44—136............. 14

CAPUT III.

De juribus parentum et prolium. §. 137—186 45

CAPUT IV.

De tutelis et curatelis. §. 187—284........... 61

Pag.

Pars secunda.

DE JURE RERUM.

De rebus earumque divisione. §. 285—308.... 93

SECTIO PRIMA.

DE JURIBUS REALIBUS.

Caput I.

De possessione. §. 309—352................. 100

Caput II.

De jure dominii. §. 353—379................. 113

Caput III.

De adquirendo dominio per occupationem. §. 380—403.......................... 121

Caput IV.

De adquirendo dominio per accessionem. §. 404—422.......................... 128

Caput V.

De adquirendo dominio per traditionem. §. 423—446.......................... 134

Caput VI.

De jure pignoris. §. 447—471.............. 141

Caput VII.

De servitutibus. §. 472—530................ 149

INDEX.

Pag.

CAPUT VIII.

De jure hereditario. §. 531—551. 167

CAPUT IX.

De ultimae voluntatis declaratione in genere, et de testamentis in specie. §. 552 — 603. 173

CAPUT X.

De substitutione et fideicommissis. §. 604—646. 188

CAPUT XI.

De legatis. §. 647—694.................... 201

CAPUT XII.

De modis ultimam voluntatem restringendi vel tollendi. §. 695—726.............. 216

CAPUT XIII.

De successione ab intestato. §. 727—761..... 225

CAPUT XIV.

De portione legitima et collatione in portionem legitimam aut hereditariam. §. 762—796. 239

CAPUT XV.

De capienda possessione hereditatis. §. 797—824.............................. 249

CAPUT XVI.

De condominio et communione aliorum jurium realium. §. 825—358. 259

Pag.

SECTIO SECUNDA.

DE JURIBUS PERSONALIBUS.

CAPUT XVII.

De pactis in genere. §. 859—937 269

CAPUT XVIII.

De donationibus. §. 938—956 294

CAPUT XIX.

De contractu depositi. §. 957—970 300

CAPUT XX.

De commodato. §. 971—982 305

CAPUT XXI.

De contractu mutui. §. 983—1001 309

CAPUT XXII.

De mandato et aliis speciebus negotiorum gestionis. §. 1002—1044 315

CAPUT XXIII.

De contractu permutationis. §. 1045—1052. 328

CAPUT XXIV.

De contractu emtionis venditionis. §. 1053—1089. 331

CAPUT XXV.

De contractu locationis conductionis, locatione conductione hereditaria et emphyteusi. §. 1090—1150 341

Pag.

CAPUT XXVI.

De contractibus onerosis circa praestationem operarum. §. 1151—1174 361

CAPUT XXVII.

De contractu communionis bonorum. §. 1175—1216. 368

CAPUT XXVIII.

De pactis dotalibus. §. 1217—1266............ 381

CAPUT XXIX.

De contractibus de re incerta. §. 1267—1292. 396

CAPUT XXX.

De jure indemnitatis et satisfactionis. §. 1293—1341. 404

PARS TERTIA.

DE ILLIS DETERMINATIONIBUS, QUAE JUS PERSONARUM ET RERUM SIMUL CONCERNUNT.

CAPUT I.

De confirmatione jurium et obligationum. §. 1342—1374 421

CAPUT II.

De mutatione jurium et obligationum. §. 1375—1410. 431

Pag.

CAPUT III.

De modis, quibus jura et obligationes tolluntur. §. 1411—1450 441

CAPUT IV.

De praescriptione et usucapione. §. 1451—1502. 452